



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quinquaginta ad portandum crucem delecti. Cap. VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII DE VITA

*Vbicumque in preliis crucis signum adfuit, ibi ilico
consequutam esse victoriam.*

CAP. VII.

NAm in qua parte istud crucis vexillum visum fuit, hostes fugam capere: victores persequi, Qua re intellecta imperator, sicubi partem aliquam sui exercitus languentem cernebat, ibi salutare illud vexillum, tanquam quoddam subsidium ad victoriam obtinendam locari mandavit. Cuius adiumentis, extemplo parta est victoria: quippe dimicantium vires diuina quadam potentia fuere admodum confirmatae.

Quinquaginta ad portandum crucem delecti.

CAP. VIII.

QVapropter suis iussit satellitibus, qui & corporis robore erant, & virtute animi, & pietatis institutis imprimis eximii, ut in solam vexilli illius gubernationem omni cura ac studio incumberent. Erant viri non pauciores quinquaginta numero, quibus nihil aliud impositum erat negotii, quam ut vallarent undique vexillum, praesidiis munirent, singulique ordine, illud ipsum humeris gestarent. Atque ista quidem imperator ipse longo post temporis intervallo interiecto cum animo vacuo erat, nobis, qui hanc historiam scribimus, exposuit: addens etiam rem dignam esse, quae literis ad posterorum memoriam commendaretur.

*Quod de cruciferis quidam, cum fugisset interfectus est, qui
fideliter permanerat, servabatur illesus.*

CAP. IX.

NAm cum in media, inquit, belli dimicatione ingens forte fremitus & turbatio repentina exercitum occuparet, ille qui vexillum hoc portabat humeris, inter praeliandum primum praeformidine exhorrescere cepit: deinde alteri illud tradere, ut belli impetum effugeret. Postquam alter accepit, isteque fuit ex acie egressus, & extra vexilli praesidium locatus, telo coniecto in ventre confossus est, morteque sopitus concidit. Atque ut isti timiditatis & dissidentiae poenas luens, ibi mortuus iacuit: Sic ille qui salutare trophaeum, sublime & erectum portabat, omnino eius subsidio evasit incolumis: adeo ut
sepe